

Zf
6880



HONOR SVPREMVS

QVEM

THEOLOGO

DOCTRINAE INTEGRITATE SANCTITATEQVE VITAE
LONGE FLORENTISSIMO

VIRO

SVMME VENERABILI AC MAGNIFICO

CHRISTOPHORO

HENRICO

ZEIBICHIO

S·S· THEOL· DOCTORI ET PROFESSORI
PVBLICO ORDIN· PRIMARIO REG· ELECTORALIS
CONSISTORII ASSESSORI TEMPLI OO· SAN·
CTORVM PRAEPOSITO ATQVE ORDINIS SVI
SENIORI

FELICI BEATOQVE OBITV

VIII KAL· QVINCT· CIOIO CCXLVIII

HVIC ACADEMIAE

EREPTO

L L Q

HABET

ORDO THEOLOGORVM

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS





ualis, ubi patriis extorris finibus hospes
Auia defessus per loca fecit iter
Iamque caput Titan illustre recondi-
dit umbris
Festinat patrios ille uidere focos
Cumque uenit, laetus ponit, quae terga premebat
Sarcina, mox placido membra sopore leuans
Qualis et emeritis miles ueteranus in armis
Qui mala tot belli pertulit atque uiae
Dum redit, et lassam spirat uitalibus auram
Ponit ad antiquos arma fagumque Lares
Et somnum capturus humo, latus ille supinum
Acclinat fonti praetereuntis aquae
Talis, Sancte Senex, mollem spirare quietem
Et posuisse Tuum nuncce uideris onus
Iamque sua in terris permensus fata, quietem
Lassus ad aeternam spiritus hospes abit
Spiritus hospes abit, curarum pondere liber
Et superata sibi fata recenset ouans
Spiritus hospes abit, patriam qui semper ad altam
Adspirans, Domini preffit anhelus iter
Idem etiam miles generoso puluere sparsus
Et parta meritis laude decorus abis
Laude decorus abis, pulcros accinctus in ausus
Gessisti Domini bella ualente manu
Munera nunc laetus quondam commissa resignas
Militiaeque Deo porrigis arma Tuae
Laude decorus abis, nam Te post funera dignum
Qui rude doneris, iudicat ipse Deus
Qui nunc et uitae satiaris fonte perenni
Iugiter ex Agni profusiente throno

Chare Senex uarios uitae permense labores
Exuis infirmi corporis exuuias
Et qui uotorum fuit unica meta Tuorum
Nuncce uides animo liberiore Deum
Adspicis et plenum iam pleno in lumine lumen
Lumen, inaccessum quod fuit ante Tibi
Quaeque Tuae fuerat doctrinae summa, salutem
Nunc haud fallaci sentis habere fide
Sic asserta Tuo sapientia sacra labore
Nunc Tibi cum multo foenore plena redit
Inter tot uitae solamina magna beatae
Natorum occurrit candida biga Tibi
Quondam deliciae, quondam Tua magna uoluptas
Post desiderium cura dolorque Tuus
Nunc sed in amplexus festinat uterque paternos
Fitque patris socius laetitiaque patris
Hoc comitante pari graderis per coelica Tempe
Arduus, Elysium qua mouet aura nemus
Qua saluunt uitrei per amoena rosaria fontes
Et uestita sacris floribus arua patent
Quae nec sol aestu, nec frigore Caurus, adurit
Hicque canis sancto carmina festa Deo
Accinit et coeli chorus, et Tecum alta Thronorum
Atque Potestatum curia plaudit ouans
Plaudis ouans, at nos moeror singultibus aegris
Occupat, et lessus prouocat ore graues
Deferis has terras, socios, coetusque piorum
Et desiderium mors Tua triste mouet
Ergone tot curas, tot seria uota, precesque
Totque graues operas auferet una dies
Vna dies, poterunt non secula, digna notari
Nomina post cineres Musa perire uetat

Viuis, et aeterno Tua uita repullulat aeuo
Nec praecisa cadit corporis interitu
Posteritas Te fera sciet mirata legetque
Sacra repurgatae dummodo gentis erunt
Leucoris alma Tibi monumenta perennia famae
Tot meritis ponet nobilitata Tuis
Non finet obscura Tua nomina nocte recondi
Non finet indictum Te Viteberga mori
Non finet ingentes ecclesia sparsa per oras
Atque feret meritis debita iusta Tuis
Purior hic semper de Te doctrina loquetur
Defensa a uariis ore manuque dolis
Eque scholis egressa Tuis Te dicet ubique
Concio, nunc coetus flosque decusque sacri
Sacra Deo Pietas, doctrinaque rara, laborque
Et cum sincera religione fides
Et tot pro coetu suspiria missa piorum
Nomina conciliant manibus ampla Tuis
Sed quid conamur graciles Tibi scribere laudes
Pulcra fatis decorum dant Tua facta Tibi
Nil nostrae Tu laudis eges, Tu fare caterua
Vera Lutherano quae facis orbe sacra
Interea similis quos hic Tibi cura laborque
Iunxit, et antiquae foedus amicitiae
Extremum pietatis opus Tibi soluimus, atque
Iusta damus cineri religiosa Tuo
Post superata Tibi nunc fata in pace quiesce
Doctrina et meritis nobilitate Senex
Ipse Deus repareret perculsae damna Sionis
Atque suo populo det Tibi saepe pares,



ULB Halle
002 617 935

3



HONOR SVPREMVS

QVEM

THEOLOGO

DOCTRINAE INTEGRITATE SANCTITATEQVE VITAE
LONGE FLORENTISSIMO

V I R O

SVMME VENERABILI AC MAGNIFICO

CHRISTOPHORO

H E N R I C O

ZEIBICHIO

S·S· THEOL· DOCTORI ET PROFESSORI
PVBLICO ORDIN· PRIMARIO REG· ELECTORALIS
CONSISTORII ASSESSORI TEMPLI OO· SAN·
CTORVM PRAEPOSITO ATQVE ORDINIS SVI
SENIORI

FELICI BEATOQVE OBITV

VIII KAL· QVINCT· CIO· CCXLVIII

HVIC ACADEMIAE

EREPTO

L L Q

HABET

ORDO THEOLOGORVM

VITEMBERGAE

